

**Documenta, quibus Hungariae, Valachiae et Moldaviae  
relationes melius illustrantur  
(1417-1484)**

Marius Diaconescu, Géza Érszegi

1.

1417 Iulii 8 – Sântimbru

*Lorandus Lipes de Varaskezy vicevaivoda Transilvanus causam Michaelis cantoris Albensis et Annae consortis Nicolai de Almakerek contra Michaellem de Feldemether et Iohannem de Kecheth notam propter exercitum in Valachos Transalpinos motum ad octavas festi beati Michaelis archangeli prorogat.*

*Litterae in charta scriptae sigilloque cuius vestigia extant olim clausae. Archivum Hungariae Nationale, Dl. 62.792 (archivum familiae Bethlen).*

Nos Lorandus Lipes de Varaskezy<sup>1</sup> vicewayuoda Transsilvanus) damus pro memoria, quod instrumentalem exhibicionem, quam honorabilis vir magister Michael cantor et canonicus ecclesie Transsilvane necnon nobilis domina Anna vocata consors Nicolai filii Apa de Almakerek<sup>2</sup>, pro quibus Nicolaus filius Sandor de Zenthmarthon<sup>3</sup> et Iohannes de Dellem<sup>4</sup> cum procuratoriis litteris nostris et capituli ecclesie Transsilvane astiterunt contra Michaellem de Feldemether<sup>5</sup> et Iohannem de Kecheth<sup>6</sup> ex quibus idem Iohannes pro se personaliter et pro ipso Michaelle similiter cum procuratoriis litteris nostris comparuit iuxta continenciam litterarum nostrarum prorogatoriarum super factis in quibusdam litteris Petri de Strigh<sup>7</sup> et Ladislai de Nadan<sup>8</sup> alias vicewayuodarum adiudicatoriis contentis in octavis festi nativitatis beati Iohannis baptiste cum iudicio novem marcarum facere tenebantur coram nobis propter presentem mocionem exercitus contra Volachos Transalpinos moti cum eodem iudicio novem<sup>9</sup> marcarum ad octavas festi beati Michaelis archangeli nunc venturi<sup>10</sup> duximus prorogandam.

Datum in Zenthmreh<sup>11</sup> octavo die termini prenotati anno Domini millesimo quadringentesimo decimo septimo.

*A tergo:* Super exhibicione instrumentali pro honorabili viro domino Michaelle cantore et canonico ecclesie Albensis et alia intrascripta contra

<sup>1</sup> Lorandus Lépes, vicevaivoda Transilvanus: 1415-1438. Cf. Pál Engel, *Magyarország világi archontológiája 1301-1457*, I, Budapest, 1996, p. 14.

<sup>2</sup> Mălâncrav (Almakerék), <RO, j. Sibiu>.

<sup>3</sup> Târnăveni (Dicsőszentmárton), <RO, j. Mureș>.

<sup>4</sup> Deleni (Sáros), <RO, j. Mureș>.

<sup>5</sup> Divicioni Mari (Nagydevecser), <RO, j. Cluj>.

<sup>6</sup> Aluniș (Kecséd), <RO, j. Cluj>.

<sup>7</sup> Petrus de Strigh, vicevaivoda Transilvanus: 1404-1408. Cf. Pál Engel, *loc. cit.*

<sup>8</sup> Ladislaus de Nadan, vicevaivoda Transilvanus: 1404. Cf. Pál Engel, *loc. cit.*

<sup>9</sup> Delevit novem.

<sup>10</sup> 6 Octobris 1417.

<sup>11</sup> Sântimbru (Marosszentimre), <RO, j. Alba>.

Michaellem filium Nicolaum de Feldemether et alium intrascriptum ad octavas festi beati Michaelis archangeli prorogatoria.

2.

1424 Augusti 15 – Tata

*Sigismundus rex Hungariae omnibus regni iustitiariis mandat, ut causas Alberti de Batthyan ad expeditionem Transalpinam ituri prorogant.*

*Litterae in charta scriptae sigilloque a tergo impresso munitae. Archivum Hungariae Nationale, Dl. 102.028 (archivum familiae Batthyáni).*

Sigismundus Dei gracia Romanorum rex semper augustus ac Hungarie, Bohemie, Dalmacie, Croacie etc. rex fidelibus nostris viris magnificis palatino et iudici curie nostre ipsorumque in iudicatu vicesgerentibus cunctis eciam aliis regni nostri iudicibus et iusticiariis ecclesiasticis videlicet et secularibus presencium noticiam habituris salutem et graciam.

Quia fidelis noster Albertus de Batthyan<sup>12</sup> sub banderio magnifici viri Piponis de Ozora comitis nostri Themesyensis etc. in presentem nostram exercitualem expeditionem versus partes Transalpinas personaliter dicitur transiturus, igitur fidelitati vestre firmiter precipiendo mandamus, quatenus universas et quaslibet causas prefati Alberti tam per ipsum contra alios quam per alios quospiam contra ipsum<sup>13</sup> in quibuslibet terminis coram vobis motas vel movendas statu in eodem gravamine et variacione absque omni ad octavas festi beati Mychaelis archangeli<sup>14</sup> nunc venturis prorogare debeatis et differre et aliud non facturi presentes quoque perlectas reddi iubemus presentanti.

Datum in Thata<sup>15</sup> in festo assumptionis Virginis gloriose anno Domini M<sup>mo</sup> CCCC<sup>mo</sup> XX<sup>o</sup> quinto, regnorum nostrorum anno Hungarie etc. XXX octavo, Romanorum XIII<sup>o</sup> et Bohemie quinto.

3.

1427 Martii 10 – Braşov

*Sigismundus rex Hungariae pro servitiis Emerici litterati filii Eliae de Kwchk in custodia et conservatione castri Argyas et alias impensis eidem et proximis eiusdem portionem possessionariam in Kwchk sitam donat.*

*Litterae in membrana scriptae sigilloque cuius vestigia extant infra textum impresso munitae. In angulo superiore dextro et sub sigillo: Commissio propria domini regis. Archivum Hungariae Nationale, Dl. 43.689.*

Nos Sigismundus Dei gracia Romanorum rex semper augustus ac Hungarie, Bohemie, Dalmacie, Croacie etc. rex memorie commendamus harum tenore significantes, quibus expedit universis, quod nos sicuti ad humilime

<sup>12</sup> Szabadbattyán, <HU, Fejér m>.

<sup>13</sup> Posterius insertum.

<sup>14</sup> 6 Octobris 1424.

<sup>15</sup> Tata, <HU, Komárom m.>.

supplicationes instanciam fidelis nostri grate dilecti venerabilis viri magistri Ladislai de Chap<sup>16</sup> pridem vicecancellarii nostre maiestatis pro parte Emerici litterati filii Elie de Kwchk<sup>17</sup> familiaris sui nobis porrecte sic non minus attentis et consideratis fidelibus serviciis et fidelium obsequiorum gratuitis meritis et sinceris beneplacenciis ipsius Emerici, quibus idem una cum dicto domino suo a non paucis iam elapsorum annorum et temporum curriculis continue et sine intermissione nobiscum procedente et curiam nostram sequente in nonnullis nostris exercitualibus expeditionibus, presertim vero contra perfidissimos Hwzytas Dei et nostros notorios infideles et rebelles in dicto regno nostro Bohemie ac marchionatu Moravie pululantes per nos pleris vicibus instauratis interessendo persone et rebus suis non parcens, sed se et sua in nostre maiestatis serviciis diversis fortune casibus et imminetibus formidabilibus periculis submittens et exponens totis suis viribus et conatibus cum non modica sui sanguinis effusione et corporis gravi lesione acriumque vulnerum et cicatricum in sui personam suscepcone studuit et nunc ipse Emericus una cum egregio Stephano de dicta Chap aule nostre milite fratre utputa ipsius magistri Ladislai vicecancellarii et aliis certis nostris fidelibus familiaribus in custodia et conservacione castri nostri Argyas<sup>18</sup> vocati in partibus nostris Transalpinis habiti pridem per nos dimissis existens studet et anhelat ac laborat maiestati nostre complacere seque gratum nobis reddere et acceptum.

Propter que nos volentes eundem Emericum aliquo nostro regio favore prosequi gracioso quandam porcionem possessionariam Kwchk vocatam contigue inter possessiones Kyskwchk et Naghkwchk<sup>19</sup> in comitatu Castri Ferrei existentes sitam et habitam ius nostrum regium – ut dicitur – concernentem, quam scilicet condam Nicolaus Zambo olim tenuisset nuncque Stephanus dictus Farkas de dicta Naghkwchk et fratres eiusdem tamquam iurium nostrorum regalium celatores sub taciturnitatis ac silencio conservarent simul cum universis suis utilitatibus et pertinentiis quibuslibet, terris scilicet arabilibus, cultis et incultis, agris, pratis, silvis, nemoribus, aquis aquarumque decursibus et generaliter quarumlibet utilitatum integritatibus quovis nominis vocabulo vocitatis ad dictam porcionem possessionariam spectantibus et de iure pertinere debentibus sub suis veris metis et antiquis limitibus, quibus hactenus per [quo]scumque rite tenta fuisset et possessa, ex certa nostra sciencia prelatorumque et baronum nostrorum sano ad id acce[d]ente consilio prefato Emerico litterato et per eum dicto Elie patri necnon Georgio et Demetrio filiis Petri de Demelk<sup>20</sup> proximis et consanguineis suis ipsorumque heredibus universis dedimus, donavimus et contulimus, ymo damus, donamus et conferimus iure perpetuo et irrevocabiliter possidendam, tenendam pariter et habendam salvo iure alieno harum nostrarum vigore et testimonio

---

<sup>16</sup> Csapi, <HU, Zala m.>.

<sup>17</sup> Köcsk, <HU, Vas m.>.

<sup>18</sup> Argeş, <RO, j. Argeş>.

<sup>19</sup> Köcsk, <HU, Vas m.>.

<sup>20</sup> Celldömölk, <HU, Vas m.>.

litterarum mediante, quas – dum nobis in specie reportate fuerint – in formam nostri privilegii redigi faciemus.

Datum in civitate nostra Brassoviensi<sup>21</sup> feria secunda proxima ante festum beati Gregorii pape anno Domini millesimo quadringentesimo vigesimo septimo, regnorum nostrorum anno Hungarie etc. quadragesimo, Romanorum decimo septimo et Bohemie septimo.

*A tergo in margine inferiore in media parte: Re(gistra)ta.*

4.

1448 Februarii 24 – Deva

*Iohannes de Hunyad regni Hungariae gubernator committit Dionysio Weres de Fornas, ut omnia iura possessionaria Andreae filii Georgii dicti Wytez de Thamasfalwa ad Moldaviam ituri protegat.*

*Litterae in charta scriptae et sigillo, cuius vestigia extant, infra textum impresso munitae. Archivum Hungariae Nationale, Dl. 62.840 (archivum familiae Bethlen).*

Iohannes de Hwnyad regni Hungarie gubernator etc. egregio Dyonisio Weres de Fornas<sup>22</sup> salutem cum dileccione.

Quia Andreas filius Georgii dicti Wytez de Thamasfalwa<sup>23</sup> ex nostra transmissione ad Moldaviam ire debet, universa iura sua possessionaria ubivis habita et existencia nomine protectorio proteccioni et gubernacioni vestre commisit, ideo dileccioni vestre firmiter committimus, quatenus visis presentibus a modo imposterum prescripta universa iura possessionaria<sup>24</sup> ipsius Andree ubivis habita et existencia iusta utputa et legitima contra quoslibet illegitimos impetitores protegere, tueri et defensare debeatis aliud [non] facturi in premissis presentibus perlectis exhibenti restituti.

Datum in Dewa<sup>25</sup> tercio die festi kathedre beati Petri apostoli anno domini MCCCCXL<sup>mo</sup> octavo.

5.

1459 Aprilis 19 – Suceava

*Litterae Stephani vaivodae, ut mercatores Brasovienses ire libere in Moldaviam et inde redire possint.*

*Litterae in charta scriptae sigilloque anulari infra textum impresso munitae. Archivum Hungariae Nationale, Dl. 64.775 (archivum familiae Mednyánszky).*

Yesus

Stefanus woieuoda Dei gracia dominus terre Moldavie etc. universis et singulis, quibus oportunitate fuerit, his nostris litteris notum facimus sicut famosis et

<sup>21</sup> Braşov, <RO>.

<sup>22</sup> Sfăraş (Farnas), <RO, j. Sălaj>.

<sup>23</sup> Tâmaşa (Almástamási), <RO, j. Sălaj>.

<sup>24</sup> Delevit vb.

<sup>25</sup> Deva, <RO>.

egregiis viris omnibus Brasouanis<sup>26</sup> has nostras litteras concedimus promittentes eis nos cum terra nostra boni et veri amici fore et eis iusticiam rectam ministrare, ut nostris propriis terrigenis faceremus eisque favorabiles esse inimicisque ipsorum nullum favorem vel auxilium independentes nec in terra nostra aliquem inimicum ipsorum substinere promittimus ipsi vero liberi sint sine aliquo impedimento cum bonis ipsorum et mercibus sicut ad terram suam libere et sicure accedere et contra recedere, ipsi vero econverso nobis libere promixerunt<sup>27</sup> suis cum ambaxiatoribus et nunciis nullum inimicum nostrum in civitatem suam substinere nec favorem aut auxilium dare nostrisque mercatoribus promittentes, ut libere et secure cum suis bonis et mercibus ad ipsos accedere valeant eisque veram et rectam, ut eis propriis iusticiam ministrare et super hoc promixerunt nobis suas litteras destinare et ad suprascripta servanda nos cum baronibus et nobilibus nostris vera fide Christianica promittimus.

Data Suczavie<sup>28</sup> feria quinta ante festum sancti Georgii anno Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo nono.

6.

1484 Iunii 18 – Buda

*Matthias rex Hungariae comitatui Temesiensi mandat, ut Varadinum cum Turcorum caesare Moldaviam et partes Transalpinas petito conflicturi congregentur.*

*Litterae in charta lacerata scriptae sigilloque infra textum impresso munitae. In angulo superiore dextro: Commissio propria domini regis. Archivum Hungariae Nationale, Dl. 102.629 (archivum familiae Baithyány).*

Mathias Dei gracia rex H[un]garie, Bohemie etc. fidelibus nostris comiti vel vicecomiti et iudicibus nobilium necnon universis et singulis nobilibus et alterius cuiusvis status et condicionis possessionatis hominibus comitatus Themesiensis salutem et gratiam.

Scripseramus vobis nuper audito Turcorum apparatu, ut omnes et singuli vestrum per singula capita, quo numerosius possetis, preparari deberetis, ut si contingeret cesarem Turcorum contra nos vel regna corone nostre subiecta cum suo apparatu declinare nos illi parati una nobiscum, quamprimum vos requireremus occurrere et dominia nostra ab illius machinatione defendere possemus.

Nunc itaque certificati sumus et id iam in veritate rescivimus Turcorum cesarem contra federa pacis nobiscum inita omnem suum apparatum in Moldaviam et partes Transalpinas convertisse et omnino decrevisse castra Kyllye<sup>29</sup> et Nesther<sup>30</sup> expugnare ac insuper ex turbato Stephano waywoda alium inducere, quod si fiat, scire omnes potestis de tota Transsilvania ilico actum esse et insuper eciam toti regno nostro Hungarie ultimum periculum imminere.

<sup>26</sup> Braşov, <RO>.

<sup>27</sup> Recte: promiserunt.

<sup>28</sup> Suceava, <RO>.

<sup>29</sup> Kilija, (Chilia), <UA>.

<sup>30</sup> Belgorod (Cetatea Albă), <UA>.

Requisiti igitur ab eodem Stephano waywoda et magis periculo vicino convicti, ne proximus ignis, dum non cito extinguetur, supra omnium nostrum, qui vicini sumus, capita proserpat, decrevimus omnino huius modi incendium in remocioribus potius tectis quam in propinquis laribus extinguere et ipsi cesari ne intentum suum perficere possit, in partibus illis obviare.

Premisimus igitur<sup>31</sup> iam de facto fidelem nostrum magnificum Stephanum de Bathor waywodam Transsilvanum cum certo apparatu in auxilium Stephani waywode premissurique statim sumus et magnificum Paulum Kynisi cum aliis gentibus nostris. Nos vero ut eo forcius machinatio infidelium retundatur, constituimus propria in persona subsequi et mox subsecuti fuisset, n[os] expectaremus universitatem regnicolarum nostrorum, de quorum omnium salute et statu agere <debemus> congregari.

Quare vobis strictissime et sub nota infidelitatis mandamus, quatenus statim visis presentibus per singula capita, quo numerosius potestis, ad festum sancti Iacobi proxime futurum<sup>32</sup> Waradinum congregari debeatis, ubi et nos absque omni dubio dimissis et postpositis omnibus aliis negociis nostris in prefato die constituemur.

Veniat autem omnes et singuli eo ordine et apparatu, quo cum Turcorum cesare conflare possitis, quoniam omnino constituimus cum illo, nisi interim discedat, fortunam iuvante Deo tentare.

Vobis vero comitibus et vicecomitibus seorsum mandamus, quatenus omnes et singulos nobiles et possessionatos homines – cuiuscunque status et condicionis existant – ad parendum huius modi mandatis nostris modo premissis admonere et requirere nostro nomine singillatim debeatis.

Si qui autem fortasse forent mandati huius nostri contemptores, talium omnium nomina sub debite fidelitatis obediencia maiestati nostre rescribere citissime debeatis, ut nos sciamus tales – sicuti merebuntur – castigare et aliud facere nemo vestrum presummat pena sub premissa.

Datum Bude feria sexta proxima post festum sacratissimi corporis Christi anno [Domini mil]lesimo quadringentesimo octogesimo quarto.

---

<sup>31</sup> *Posterius insertum.*

<sup>32</sup> 25 Iulii 1484.